

Quid enim est melius, quam memoria rectè factorum, et libertate contentum negligere humana? Sed certè non succumbam succumbentibus, nec vincar ab iis qui se vinci volunt: experiarque, et tentabo omnia: neque desistam abstrahere à servitio civitatem nostram. Si secuta fuerit, quæ debet, fortuna, gaudebimus omnes; si minus, ego tamen gaudebo. Quibus enim potius hæc vita factis, aut cogitationibus traducatur, quam iis quæ pertinuerint ad liberandos civeis meos?

*Cicero, epist. ad Brutum, liber singul. 16.*

..... Quorum in hac civitate longe maxima consilia, atque ingenia fuerunt: ceteros pari dignitate præditos, custodes, gubernatoresque reipublicæ, quemadmodum mortuos defendemus? Quid de illis honestissimis viris atque optimis civibus ..... dicemus, qui tum una cum senatu salutem reipublicæ defenderunt? Quid de tribunis ..... ceterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt? Sed quid ego de iis omnibus qui consulari imperio paruerunt, loquor?

*Cicero, oratio pro C. Rabirio, 9 et 10.*